

PRÆFATIO.

scriptiones seu Tituli, rem totam generali suo exprimentes Vocabulo.

III. *Descriptiones*, sunt partium Picturæ explicationes, propriis suis appellationibus ita expressæ, ut cuivis Picturæ membro & appellationi ejus eadem addita Cifra, quæ ad se invicem spectent, perpetuò ostendat.

Qui talis liber, tali hoc apparatu, serviat, spero: Primùm, *ad alliciendum huc Ingenia*, ne sibi crucem in Scholâ imaginentur, sed delicias. Notum enim est, Pueros (ab ipsâ propemodùm infantia) picturis delectari, oculosq; his spectaculis libenter palcere. Obtinuisse autem, ut à Sapientiæ hortulis terriculamenta tollantur, magnum operæ pretium erit.

Secundò serviet Liber idem, *excitandæ, rebus affigendæ & semper magis magisq; exacueandæ attentioni*: quod ipsum magnum est. *Sensûs* enim (ætatulæ primæ duces potissimi, quippe ubi mens ad abstractam rerum contemplationem nondum se elevat) objecta sua semper quærunt, absentibus illis hebescunt, tædioq; sui huc illuc se vertunt; præsentibus autem objectis suis, hilarescunt, vivefcunt, & se illis affigi, donec res satis perspecta sit, libenter patiuntur. Liber ergo hic Ingeniis (vagus præsertim) captivandis, & ad altiora studia præparandis, bonam navabit operam.

Unde tertium sequetur bonum, ut *huc allecti & hæc cum attentione traducti Pueri, Rerum in Mundo primariarum notitiâ per lusum & jocum instruantur.*

Si tamen Vernaculis etiam Lingvis eum placeat concinnari; quod & factum est, alia duo de se promittit bona.

I. *Literarum Lectioni facilius, quàm hæctenus addiscendæ, stragemata Pueris suppeditabit*: præsertim eidem præmissis *Alphabetho Symbolico*, Literarum nempe singularum characteribus, cum appictâ Animalis istius, cujus vocẽ Litera imitatum it imagine. Ex ipsâ quippe Animalis inspectione vim characteris cujusque recordabitur faciliè Alphabetarius tiro: donec usu firmata imaginatio promptè omnia suppeditet. Lustrato deinde primariarum etiam *Syllabarum Abaco*, (quem tamen huic Libello adjici non opus videbatur) venire poterit ad *lustramen Picturarum*, & superimpositarum inscriptionum. Ubi rursus ipsa Rei depictæ inspectio, rei nomen suggerens, quomodo Picturæ titulis legendus sit, monebit. Transitoq; sic Libro toto, per solos *Picturarum titulos,*

los,